

AD REIPVB. DVS-
SELDORPENSIS Ma-
gistratus. Et senatorij ordinis vi-
ros prudentissimos ornatissimosq; Franc.
Fabricij Marcodurans
Prefatio.



Votēpore huius Scho-
læ gubernacula mihi
sunt tradita, eodem cu-
rationem iuuentutis,
quæ in urbem vestram
descendi causa ex diuersis prouincijs
confluit, mei fidei sic commissam in-
telligo, vt tam in linguae formatio-
nem, quam in morū institutionem
mihi omni cogitatione curaq; per-
petuo sit incumbendum. hæc enim
causa est, cur Scholæ publicæ in ciui-
tatibus, quas Socrates apud Plato-
nem iure & merito censet aptiores
esse ad docendum quam loca deser-
ta, & magnis sumptibus instituantur,
& liberalitate eorum qui præsunt,

A 2 conser-



R R A E F A T I O.

conseruentur: ut ex ijs prodeant homines non solum eleganter literati, sed & bene morati. Quocirca ut in hoc præcipue desudamus, quo ex discipulorum nostrorum moribus, omniq; actione pietas, obedientia & modestia eluceant: sic in eam doctrinā, quæ ad sermonis elegantiam pertinet, nō minimam partem curarum deriuamus. Distinxit à cæteris animalibus genus humanum Deus ratione atq; oratione: ut, cum hominis maximè proprium sit, nō solum acumine mentis, verum etiam linguae cultu reliquis præstare, magistri quoq; non minime partes sint, cum rudem pueri animum bene beateq; viuendi præceptis imbuere, tum linguam impolitam recte loquendi ratione formare. qua in re tenera ætas, ita ut in multis Scholis deprauata quadam consuetudine vsu venire cognoscimus, ei sermoni assuescat, qui scit dedisceundus: M. Tullius Cicerio, quo melius exemplum, in lati-

na

PRAEFATIO.

na quidē lingua, nullum habemus,
pueris sic est proponendus, vt eius &
in sermone puritatem, & in omni
genere virtutes imitare & exprime-
re consuescant. In nostra quidē Scho-
la cum cæteris, qui fidei nostræ & dis-
ciplinæ sunt crediti, ex Ciceronis
scriptis, quod ætati cuiq; accommo-
datissimum videtur, quoad eius fieri
potest quām accuratissima diligen-
tia explicetur; ne, qui in quintā clas-
sem adscripti sunt, tanquam neglec-
ti ex alijs fōtibus, quām ex quibus re-
liqui hauriunt, linguæ latinæ cogni-
tionem peterent, optima ratione est
prouisum. Ego quidem, vt ad studia
illorū adiumenti aliquid afferrem,
qui neq; ad ea, quæ artificiosius sunt
elaborata, neq; ad integra volumina
epistolarum ita vt exstant cognoscē-
da satis virium habent, hos quasi ri-
uulos ab ipso capite duxi; easq; episto-
las in duos libros, ordinem tempo-
rum, ceu clarissimum lumen secu-
tus, conieci, quæ sermonis quotidia-

PRAEFATIO.

ni elegātem, nullisq; vitijs contami-
natam copiam pueris absq; omni ob-
scuritate in diuersis generibus suppe-
ditarent. Etsi verò labor, quem huic
selectioni impendi, non ita magnus
est: quia tamen is vestro beneficio &
præsidio, quo hic secundū illustriss.
clementiss. q; nostri Principis ac du-
cis numen excellens benignissimè
liberalissimeq; souemur, foras ma-
nat; vt iij, qui in hac nostra qualicun-
q; opera fructum percipient, memo-
rem in bene meritos animum præ-
stent, æquissimum esse putauit, has
epistolas cum vestri nominis inscrip-
tione in apertum referri. cui rei si ve-
stram sententiam adscripseritis, vos-
q; in hoc genere officij nostræ indu-
striæ fauere declaraueritis, studio, si
minus re licebit, vobis vt satisfaci-
am, dies noctesq; elaborabo. Date o-
peram vt valeatis. Dusseldorpij No-
nis May. Anno à Christo nato
M. D. LXV.

M. TVL.